

P V I S



1 6 0 3



V

4

DE TRIBVS GENERIBVS  
COMMVNICATIONIS IDIO-  
MATVM.

PROPOSITIO-  
NES DE QVIB. RESPON-  
DEBIT PRO CONSEQVEN-  
DA LICENTIA IN FACVL-  
TATE THEOLOGICA

Præsidente Andrea Prætorio Doctore  
Theologo, Pastore & Professore  
Ecclesiæ Francofordianæ

M. Andreas VVencelius Historiarum  
Professor in Academia Franco-  
fordiana.

e.

Die XV. Octobris Anno 1584.



Francofordiæ Marchionum excudebat  
Andreas Eichorn.

1584

# THESES DE TRIBVS GENERIBVS Communicationis

Idiomatum.

I.

**N**omni cogitatione & sermone, qui de *DEO* rebusq; diuinis suscipitur, memores simus dicti Syracidæ c. 3. Quæ tibi mandata sunt à *DEO*, reuerenter & sanctè meditare.

*II.* Etsi enim omnis in communi vita sermo, verecundus esse debeat: in mysterijs tamen diuinis non tantum reuerentia sed & ipsa sanctitas luceat.

*III.* Ideo preclarè dixit Augustinus lib. 10. de Ciuit. Dei, c. 23. Nobis ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem.

*IIII.* Hac commonefactione si in vlllo fidei articulo, certe in doctrina de communicatione Idiomatum & Maiestatis, in qua multa sunt incomprehensibilia, omnino opus est.

*V.* In hac igitur doctrina nos esse Tyrones

A 2

&

& interpretes satis rudes ingenuè fateamur, in  
quorū explicatione & mens & oratio deficiūt,  
*VI.* Hinc quotiescunq; in quæstionibus &  
solutionibus de Vnionē hypostatica duarum  
in Christo naturarum, de Communicatione  
Idiomatum & Maiestatis hæsitamus, erudiat  
nos vox DE I, & erigat illa Iustini, quæ de ad-  
mirandis Christianorum mysterijs vsurpatur,  
exclamatio: τα ἡμέτερα ὑπὲρ νοῦ, ὑπὲρ λόγου, ὑπὲρ κα-  
τάληψιν κτισθῆ φύσεως. Et subiungit hæsitanti: πρόσφε-  
ρτοῖς ζητηθῶσι ἐτόμιμν λύσιν τῆρ τῶσιρ.

*VII.* Ut igitur confusio naturarum Christi  
Eutychiana, & distractio siue diuulsio earum  
Nestoriana, à vera & sincera doctrina auerte-  
rentur, commoti sunt Doctores Orthodoxi,  
Doctrinæ de personali Vnionē naturarum,  
subiungere doctrinam de Communicatione  
Idiomatum, πῆρ ὑποστατικῆρ ἐνώσεως fructum & ef-  
fectum.

*VIII.* Est autem talis à quibusdam ex recen-  
tioribus extracta Definitio:

Communicatio Idiomatum est vera de Filio  
Dei Domino nostro Iesu Christo prædicatio,  
in qua 1 Aut proprietates vni naturæ in Christo  
conueniens tribuitur toti personæ in concre-  
to: 2 Aut vna natura agit μετὰ τῆρ σατέρσ κοινωνίασ,  
id quod cuiusq; proprium est, & Christus per

utriusque naturæ operationem officia & beneficia sua confert; 3 Aut proprietates diuinæ naturæ τῆ λόγῃ, sua plenitudine habitantis in assumpta carne, exeritur & perficitur non extra carnem assumptam, nec absque ea, sed in ea, & per eam sine confusione & exæquatione naturarum.

*IX.* Ex hac definitione partiali apparet, prædicationes seu propositiones de Persona & de naturis Christi non omnes esse similes aut unius generis, nec sine distinctione dextrè eas explicari aut intelligi posse, ideò tria Communicationum genera rectè & necessario sunt tradita.

*X.* Primum est ἡ τῶν ἰδιωμάτων κοινωνία Communicatio Idomatium. 2 κοινωνία ἐνεργειῶν Communicatio operationum. 3 κοινωνία μεταποιήσεως Communicatio prouectionis in melius, vel Maiestatis.

*XI.* Ut ergò explicentur illa ordinè, initio dicendum est de primo genere, quod ab Athanasio in Epistola ad Epictetum vocatur ἰδιοποιήσις vel ἰδιοποίησις, appropriatio: à Damasceno, vt reliqua omittamus, lib. 3. Orthodox. Fid. cap. 3. de duab. nat. p. 59. δεικνύσιν communitas, & ἀντίδοσις mutua attributio. In scholis ἡ τῶν ἰδιωμάτων κοινωνία vel genus scholasticum, cui potissimum seruit recepta hæc definitio.

Com

**XII.** Communicatio Idiomatum est talis de Filio Dei Domino nostro Iesu Christo predicatio, siue res talis, in qua proprietas vni naturæ in Christo conueniens tribuitur toti personæ in concreto propter personalem vñionem.

**XIII.** IDIOMA dicitur proprietas certæ naturæ conueniens, vt Idioma diuinæ naturæ est/ esse æternam, immortalem: humanæ naturæ est, esse in tempore & mortalem.

**XIIII.** CONCRETUM in doctrina de filio DEI dicitur vocabulum, quod totam personam, quæ est DEVS & Homo significat, vt DEVS, Filius Dei. Item Homo, Filius hominis, Filius Mariæ. Hic in concreto loquimur, ad distinctionem Abstractorum, Diuinitas & Humanitas. Grammatici συμπληγόν, formam cum subiecto vocant.

**XV.** ABSRACTVM autem alterutram denotat naturam vel diuinam vel humanam, vt Diuinitas, diuina natura, Humanitas, humana natura, hic in Abstracto loquimur ad distinctionem concretorum Deus & homo. Hoc τὸ κενώσιμον nudam formam uocant.

A 3

Vos

**XVI.** Vox igitur Abstracti in doctrina de persona Christi non sensu Nestoriano, non de separatione naturarum seu abstractiua locutione vsurpatur, sed sensu seu modo scholastico, vt discrimen saltem in propositionibus de duabus naturis Christi notet, seu vt tantum sit vocabulum, quo altera natura Christi in ipsa vnione personali notatur.

**XVII.** Et hæc loquendi forma non tantum apud Doctores scholasticos, verum etiã apud recentiores vsurpata est, qui per vocabula abstracta loquentes non humanitati nudæ vel extra personam consideratæ, vel separatæ à λογῶν tribuunt omnipotentiam, sed vt saltem distinctionem & determinationem subiecti notarent, & ostenderent, quid humana Christi natura præter Physicas proprietates ex vnione hypostatica acceperit.

**XVIII.** In hoc igitur genere prædicationis essentialis proprietas vnius naturæ non tribuitur alteri naturæ, ad vitandã naturarum confusionem: sed tribuitur personæ quæ constat ex vtraq; natura.

**XIX.** Estq; phrasis seu modus loquendi in  
vetbo



verbo Dei monstratus & præscriptus, vt exempli gratia : Proprietates naturæ diuinæ sunt; cœlitus venisse, Deum super omnia esse, substantialem imaginem DEI esse, ab initio esse, coessentialem patri esse, verum DEI filium esse, infinitum esse, creatorem cœli, & terræ esse.

XX. Humanæ naturæ Proprietates sunt; certo tempore ex Maria <sup>θεοτόκος</sup> natum esse, carnem & sanguinem habere, finitum, circumscriptum esse, esurire, sitire, pati, crucifigi, mori, ab vno loco in alium moueri.

XXI. Et tamen rectè dicitur, Filius hominis est æternus, Creator cœli & terræ, &c. Item q̄ Deus est passus, Vulneratus, crucifixus, mortuus.

XXII. Sūt q̄ veræ hæ & similes Propositiones propter Idiomatum Communicationem.

XXIII. Postquam autem duæ naturæ, diuina & humana <sup>ὑποστάσεις</sup> sunt vnitæ, sciendum, hanc vnionem non esse talem copulationem, vt naturæ sibi inuicem nihil communicent, seu vt Calvinistæ ex Theodoreto affirmant, Vnionem tantum facere communia nomina, sicut sepe proceres ornantur Titulis regnorum & Ducatum, ad quæ tamen illorum potentia  
se

se non extendat; ita, vt DEVS homo, & Ho-  
mo DEVS prædicatione tantum verbali, seu  
imaginaria nuncupetur, & realiter ac Vere  
nihil in vicem commune habeant naturæ, Ve-  
rum maxima hîc est, & summa κοινωvία, quam  
Deus cum homine verissimè & realissimè (vt  
ita loquamur) habet.

XXIII. Ideoq; dictū Theodoretī, vnio facit  
communia nomina maxima indiget declara-  
tione, Deus enim homo nuncupatur & homo  
Deus non verbaliter, non inani titulo, aut no-  
minetenus, sed realiter aut reuera.

XXV. Qualis autem est vnio talis etiam est  
Communicatio, id est non verbalis quæ ha-  
beat nomen inane & titulum vanum sine re,  
sed realis & vera.

XXVI. Quare & nos Communicationem  
Idiomatum nominantes prædicationem, non  
intelligimus nudum nomen, sed potius præ-  
dicationem veram & realem.

XXVII. Vocabulū itaq; realiter verbalitati  
opponimus & in eo sensu retinemus vt signifi-  
cet *warhafftig/nicht mit wortē allein/sondern  
mit der that vnd warheit/* & abhorremus ab  
illa, quam Antagonistæ malitiosè affingunt  
interpretatione, vt realiter idem sit, quod Es-  
sentialiter,

sentia liter, naturaliter, physicè. Sed ideò appellamus realem, vt significetur nec Verbalem nec essentialem nec physicam, sed veram esse οὐ κατὰ φαντάσιον vt Athanasius dial. 4. ait.

XXVIII. Et sicut rectè affirmamus: Realiter est vna essentia diuina, indistincta, & realiter sunt tres personæ distinctæ in vna illa Essentia: sic etiam rectè dicimus: vnio personalis est realiter indissolubilis naturarum coniunctio.

XXIX. Et propter hanc personalem duarum naturarum vnionem, quæ sine vera, & reali idiomatum vtriusq; naturæ communicatione consistere nequit, rectè vt paulò ante quoq; attigimus, cum scriptura, Orthodoxis Patribus, & Luthero dicimus: Puer ille, qui in præsepi, & virginis Mariæ gremio iacet, creauit coelū & terram, est Dominus vniuersæ Creaturæ, eduxit Israel ex Aegypto, percussit Pharaonem fecit omnia mirabilia ab initio mundi.

XXX. Humanæ quidem naturæ Christi, in abstracto & seorsim consideratæ, creatio & pharaonis percussio, tribui non possunt. Quia coelum & terra fuerunt condita percussus Pharao, eductus ex Aegypto populus Israel antequam humanam naturam susciperet Filius Dei, ideoq; dicere non possumus: Humana Christi natura

B

creauit

creauit cœlum & terram. Sic enim sequeretur naturarum & permixtio & deletio,

*XXXI.* Sed tamen rectè dicitur: Filius Mariæ, homo Iesus creauit, percussit Pharaonem, eduxit ex Aegypto populum Israel, quia diuinitas, quæ sola creat, percussit Pharaonem, & eduxit ex Aegypto populum Israel, est incarnata cum humanitate, & humanæ vnita vnione hypostatica. Non tamen dicere licet: Humanitas est ab æterno. Humanitas est Spiritus infinitus, humanitas creauit cœlum & terram. Humanitas est essentia diuina. Personę igitur in concreto illa tribuuntur communicatione Idiomatũ sed sine naturarum confusione, seruata potius cuiusq; nature proprietate,

*XXXII.* Similiter etiam cum scriptura rectè dicitur, non purum hominem, sed Deum ipsum flagris cœsum, crucifixum, Filium Dei vnigenitum mortuum esse.

*XXXIII.* Sic Paulus I. Cor. 2. inquit: si enim cognouissent Dominum gloriæ non crucifixissent. Et Actor. 3. Principem vite interfecerunt. Et Rom. 1. de Filio suo qui natus est ex semine Dauid secundum Carnem.

*XXXIII.* In prioribus duobus dictis dicitur in Concreto Dominum gloriæ crucifixum & mortuum.

mortuum esse. In abstracto vero diuinitas cruci-  
fixa & mortua dici non potest. In posteriori iti-  
dem in concreto dicitur: Filium Dei natum esse  
ex semine David, cum in abstracto diuinitatem  
Christi ex semine David natam esse, dicere ab-  
surdum esset.

**XXXV** In his & similibus dictis, Vti propri-  
etates Diuinæ naturæ toti personæ Christi in cō-  
creto attribuuntur: Ita & humanæ naturæ pro-  
prium toti Christo ascribitur propter vnionem  
personalem.

**XXXVI.** Quia verò sub locutione in Con-  
creto Calvinistæ quidam suos occultant errores  
perniciosos, in eo quòd totam quidem appellan-  
tes personam, vnam saltem naturam intelligant,  
alteram simpliciter excludant ac sic nuda ac SO-  
LA humanitas extra diuinitatem pro nobis sit  
passa, mortua, diuina vero natura planè ociosa  
in opere passionis & redemptionis nostræ reli-  
cta fuerit, spectatrix saltem passionis extiterit,  
& hanc propositionem: **DEVS** est passus, mor-  
tuus, esse prædicationem non realem, sed saltem  
verbalem vel  $\mu\tau\lambda\epsilon\gamma\iota\sigma\tau\epsilon\varsigma$ , secundum dici affirmant,  
& propositiones de persona ad humanam saltē  
restringunt naturam, Passionemq; **SOLI** hu-  
manæ naturæ tribuunt, cum tamen **Actiones &**

passiones non sint naturarum sed personæ, libet  
verba Lutheri in magno Confessionis suæ de  
coena domini volumine Germanicè edita latinè  
reddere, & huc ascribere.

*XXXVII.* Hoc Zuinglius, inquit Lutherus,  
Alleosin appellat, quando aliquid de diuina na-  
tura dicitur, quod tamen humanæ naturæ com-  
petit, aut econtrà, &c. Luc. 24. Nonne oportu-  
it Christum pati, &c. hinc somniat Zuinglius,  
Christum saltem humanam Christi naturam si-  
gnificare, Tu verò caue, caue inquam tibi, ab  
hac Alleosi, quæ reuera Diaboli est figmentum,  
Eiusmodi enim tandem nobis Christum consti-  
tuit, à quo ego illibenter Christiani hominis no-  
men sortiri exoptem: Talem Christum, qui am-  
plius nihil sit, opereturuè sua passione & vita  
quàm alius quispiam sanctus. Nam si persuade-  
ri mihi patiar, vt credam solam humanam natu-  
ram pro me passam esse, profecto Christus mihi  
non magni precij Saluator erit. Imo ipse potius  
alio Salvatore indiget, & vt paucis exponam, di-  
ci nequit, quid Satan per istam Alleosin molia-  
tur. Haftenus Lutherus.

*XXXVIII.* Porro cum ex contrarijs veritas  
magis elucescat, de hereticorum falsis sententijs  
pauca monebo.

Samosa-

**XXXIX.** Samosatenus Idiomatum communicationem prorsus reijcit, dum teste Suida, diuinam & humanam asseruit, ἀκοινωνήτης id est, nullam prorsus inter se habere communionem.

**XL.** Nestorius idem fecit constituendo duas hypostasies, duos Christos, alterum Christum Deum, alterum Christum hominem, Christo Deo tantum diuina Idiomata (sanitati infirmos restituere, cœcis visum, claudis cursum, mortuis vitam reddere.) Christo homini, tantum humana Idiomata (nasci, mori) tribuit, Et ideo Mariam θεοτόκον id est Dei parā esse, & Deum mortuū inficiatus est, Ne gloriaris, inquit, Iudæe, non enim Deum sed hominē crucifigendo interfecisti, &c. Trip. hist. lib. 12. cap. 4. & Niceph. pag. 592.

**XLI.** Eutyches Carnem Christi in diuinitatem transmutatam, & ita vnā saltem in Christo naturam esse tradidit, omnemq; idiomatum Communicationem negans, naturarum, quas Nestorius diuulsit, confusionem statuit.

**XLII.** Monotheletæ contra Nestorij furorem, vnā Christi personam, & contra Eutychetis hæresin, duas naturas in Christo confessi, omnem naturarum & earum operationum differentiam sustulerunt, & somniarunt eadem & communia esse vtriusq; naturæ Idiomata, eas-

demy vtriusq; facultates & operationes, Et omnia Idiomata personæ propria, vtriusq; naturæ absq; vlla discretionē attribuenda esse.

*XLIII.* Hos errores partim naturas in Christo confundentes, distrahentes, aut alterutram negantes, partim proprietates naturarum tollentes, aut horribiliter miscentes, Ecclesia Christi Catholica pio zelo explosit & explodit.

*XLIII.* Nos simpliciter verbo Dei inherentes medium tenemus, & absq; vlla naturarum permixtione, communicationem Idiomatum esse credimus: Quod nimirum proprietas vni naturæ siue diuinæ siue humanæ conueniens, toti personæ attribuitur, addita ex aperto scripturæ testimonio declaratione, vtri nature proprietas, quæ personæ toti attribuitur, essentialis sit.

*XLV* Ad hoc medium rectè retinendum, & errores fugiendos, plurimum momenti habent particule, vt vocant, distinctiue, determinantes, vtri naturæ per se quadret Idioma, toti personæ attributum.

*XLVI.* Rom. i. dicitur, Qui natus est ex semine Dauid, secundum carnem, & declaratus filius Dei cum potentia, secundum Spiritum. i. pet. 3. Mortificatus carne, viuificatus Spiritu.

*XLVII.* Ex quibus dictis (particulis distinctiuis

uis



uis hoc momentibus) patet, nasci ex semine, mor-  
tificari, competere naturę humane essentialiter  
& per se consideratę.

*XLVIII.* Obseruandum tamen hasce formu-  
las in scriptura sepe omitti, Ioh. 1. Filius hominis  
descendit de cœlo, 1. Cor. 2. Si cognovissent,  
nunquam Dominum glorię crucifixissent.

*XLIX.* Et hæc quidem de primo gradu Com-  
municationis dicta sufficiunt.

*L.* Adiungemus etiam de altero pauca quem  
vtur Aduersarij friuolè aliqua ex parte reijciant,  
nos tamen ex sacris literis & pia antiquitate  
probabimus.

*LI.* Hoc secundum genus appellant veteres  
*κοινωνίαν ἐν ἐργαῖς ἢ ἀποτελεσματίων* Communicationē  
Operationum & effectorum, Cyrillus Epist. 29  
*πομινὰ κοινοποίησις ἢ κοινοποίησις.* Damasc. lib. 3. cap. 19. p. 85.  
*περίφρασις*, id est circumlocutionem, quando quis  
duo quedam, per vnam complectitur dictionē,  
Dionysius (vt est in modò citato Damasc. loco)  
*ἐν ἐργαῖς θεοῦ ἰκίη* Dei virilem actionem : quod  
habeat actiones in vtraq; natura ad vnum effe-  
ctum *ἀποτέλεσμα* dictum.

*LII.* Est igitur communicatio Operationum  
predicatio vera, in qua vtraq; in Christo natura  
agit cum communicatione alterius, quod cuiusq;  
est

est proprium, id est verbo ea operante, que sunt  
verbi, & corpore absolvente, que sunt corporis  
munia, vt Damasc. l. 3. c. 15. p. 79. explicat.

*LIII.* Non enim illa admiranda vnio duarum  
naturarum in Christo frustra, sed ideo iuxta de-  
cretum Trinitatis facta est vt Filius Dei, in &  
cū vtracq; natura, &  $\kappa\alpha\iota$  ἀμφωτάς φύσεις per vtrāq;  
naturam non alterutram  $\delta\upsilon$  διημελίως ἀλλὰ ἑνωμίως  
non diuise sed coniunctim, officium Messie pre-  
staret.

*LIV.* Quando igitur Christus, noster Media-  
tor, Saluator, pontifex, Defensor, Victor o-  
mnium hostium, exauditor precum nostrarum,  
Resuscitator & Iudex in extremo die appellatur,  
sciendum est, illa beneficia esse ascribenda non  
solum toti persone, sed etiam nature vtriusq;.

*LVI.* Ieremias 23. ait, Vt Messias esset iustitia  
nostra ideo Deus Dauidi suscitauit germen ius-  
tum, cuius nomen IEHOVA. Paulus ait, Vt  
peccatum in carne damnaretur, & iustificatio  
legis in nobis impleretur, ideo DEVS misit Fi-  
lium suum in similitudinem carnis peccati.

*LVI.* Audimus, ideo vnionem duarum natu-  
rarum in Christo factam, vt iuxta vtramq; es-  
set noster conciliator, Iustificator, Iehoua, ger-  
men iustum.

Ebre,

LVII. Ebre. 2. Ideo enim eum, qui est expressa imago substantiæ Patris, oportuit participem fieri carnis & sanguinis, ut per mortem aboleret eum, qui mortis haberet imperium, hoc est, Diabolum, & liberos redderet eos, quicunq; metu mortis per omnem vitam obnoxij erant seruituti.

LVIII. En audis, ideo vnionem diuinæ & humanæ naturæ factam, ut iuxta vtramq; hostes aboleret, vitam & lætitiã æternam redderet. Neq; enim diuina mori, nec humana mortem vincere & vitam restituere sola poterat.

LIX. Contra hanc piam, de hoc genere Communicationis sententiam turpiter impingunt: Primò qui ab officio redemptionis diuinam Christi naturam exterminant, illudq; soli eius humanæ naturæ ascribunt.

LX. Etsi enim Deitas seu natura diuina affligi, pati & mori non potuit, sicut humana: tamen potuit per passionem & mortem omnes homines à potestate omnium hostium, ira Dei, maledictione legis, tyrannide mortis & Diaboli liberare.

LXI. Secundò turpiter errant, qui absoluto iam & completo redemptionis officio opus regni & Sacerdotij atq; habitationis Christi in cordibus credentiũ, soli diuinæ naturæ attribuunt, humanæ quoddam seigne ocium & fruitionem suæ gloriæ in cœlo circumscripto affingentes.

LXII. Ideò enim, ut paulò post dicitur, humana natura à diuinitate assumpta est, ut non tantum ad tempus suas naturales & certas in Christo actiones exerceret, sed ut euecta ad maiestatem summam ὄργανον esset non ἀνόητον ἢ ἄεργον sed σύνεργον cooperans & σκεῦος ἁγίου ἔργου ἢ δυνάμει ἁγίου ἢ ἀναμαρτῆτος τῆς θεοῦ πᾶσι πλείως

C

ἔχῃ

ἔχῃ vt Epiphaniij de Fid. Cathol. verbis vtamur, id est, Organum sanctificationis & iustitiæ, & sine peccato omnia perfectè habeat: per quod diuina Filij Dei natura, vsq; ad extremum Iudicij diem, Messiaë munus tam merito quàm efficacia exequeretur, vnde & Damasc. lib. 3. c. 15. p. 78. & c. 19. p. 85. ὄργανον τῆς θεότητος ἐνεργήμων Organum diuinitatis agens appellat.

LXIII. Nunc de Tertio genere, nempe de Communicatione Maiestatis agendum est: quod cum multi noua somnia esse vociferentur, contra benè fundatā Orthodoxæ Ecclesiæ doctrinam, hoc genus aliquot patrum testimonijs confirmabimus.

LXIII. Hanc Maiestatis communicationem, Greg. Nissen. Dial. 2. Theod. fol. 44. cum Ambrosio & Hilario Ps. 143. μεταποίησιν, Athan. Or. 2. conr. Arr. βελτίωσιν mutationem in melius, vocant non quòd facta sit naturarum transmutatio sed ad summam sublimitatem τῆ ταπεινῆς πρὸς ὑψηλοῦς humilis naturæ ad Celsitatem euectio. Euseb. libro 3. Demon. Euang. c. 13 & 14. μετάδοσιν καὶ κοινωνίαν ἐν θεότητι attributionem & Communicationem in Diuinitate vocat, quod generale τῆς κοινωνίας vocab. Basilius etiam, in S. Christi Nat. retinet, addens μετοχήν τῆς θείας δυνάμεως participationem diuinæ potentiaë. Damasc. lib. 3. c. 7. p. 65. Communicationem glorificationis appellat, dum inquit; ipsa quidem (diuina natura) τῶν οἰκείων ἀυχημάτων τῆ σαρκὸς μετάδίδωσι proprias glorificationes carni communicat.

LXV. In veteri Eccl. vsitata quidē vox fuit θεώσις ἢ ἀποθεώσις Deificatio; Sed cū Eutychiani & post Suenckfeldiani hæc transferrent ad negandam humanæ in Christo naturæ veritatem, quam in Deitatis essentiam conuersam esse hinc collegerunt, Orthod. Doct. ad euitandos dolos μετάληψιν θείας ἀξίας acceptionem diuinæ maiestatis, non naturæ vocarunt Iustin. in expos. Fid. ἐνεργεῖαν καὶ δύναμιν θείας ἐν τῇ φύσει ἀνθρώπινῃ operationem & potentiam diuinam in natura Christi.

Christi humana οὐ κατὰ τὸν λόγον τῆς φύσεως, ἀλλὰ ὑπὲρ τῆς φύσεως non secundum rationem & modum ipsius naturæ sed ultra, præter & supra naturam.

LXVI. Est igitur communicatio Maiestatis prædicatio vera & realis, in qua ex perspicuis sacrae scripturæ & Orthodoxæ antiquitatis testimonijs ostenditur, assumptæ humanæ naturæ in Filio Dei Iesu Christo non tantum creata & finita dona habitualiter in hærentia, omnium sanctorum & angelorum donis excellentiora, verum etiam præter illa dona creata, attributa etiam diuinitatis propria, vt diuinam gloriam, honorem, maiestatem & omnipotentiam verè & realiter ratione vnionis personalis & exaltationis, data & communicata esse, vt diuina τὸ λόγος in assumpta carne habitans in ea, cum ea, & per eam luceat, operetur & efficax sit, tanquam per proprium organum diuina virtute & maiestate illustratum.

LXVII. Fit autem hæc maiestatis communicatio non essentialiter siquidem Deitatis idiomata nunquam fiunt humanæ naturæ idiomata: nec fit effusione Physica proprietatum diuinæ naturæ, ac si diuinitas extra se effuderit in naturam humanam attributa æqualia essentialibus diuinæ naturæ attributis, quæ à diuina natura separata in se, per se, vel seorsim accipiat & possideat: nec exæquatione, non enim natura humana diuinæ exæquatur: nec deletionem, manet enim humana natura, manent et eius idiomata, Quæ omnia vt Eutychèæ & Suuenckfeldiana, aduersarij ex voce reali vi quadam & petulantia summa nobis obtrudere conantur, sed fit communicatio maiestatis respectu vnionis personalis & exaltationis, ita vt caro Christi omnipotentiam, quam λόγος natura habet, dono & gratia possideat.

LXVIII. Hinc fit, vt quemadmodum diuinitas natura sua est gloriosa, omnipotens, liberrima, sapientissima

tissima, supra & extra omnes creaturas: Ita humana natura assumpta sit in maiestatem, gloriam, omnipotentiam, virtutem, sicq; exaltata, vt excedat omnium creaturarum conditiones, non quidem ex sua natura, sed ex dono, quod in eam confert λόγος vt Iustinus ait: ὑπὸ τῆς φύσεως ἐξ εὐδοκίας ἔ' λόγος ultra naturam ex donatione siue gratia verbi.

LXIX. Hæc iam dicta valido totius antiquitatis argumento confirmari possunt, & debent, ad demonstrandam eorum maliciam, qui hoc, veteres Ecclesiæ Doctores credidisse, negant.

LXX. Damascenus lib. 3. c. 18. Diuina Christi voluntas erat æterna & omnipotens: HVMANA VERO EIVS VOLVNTAS à tēpore cœpit, & naturales & innoxias affectiones sustinuit, ET NATVRALITER quidem non erat omnipotens, vt AVTEM VERE ET SECVNDVM NATVRAM DEI VERBI VOLVNTAS EST FACTA, ET OMNIPOTENS EST, Idem lib. 3. c. 21. & 22. de omniscientia differit.

LXXI. Et regula est perpetua Athanasij apud Orthodoxos Ecclesiæ Doctores, quam Theodoretus Dial. 4. citat: quæcunq; scriptura Christum IN TEMPORE dicit accepisse, propter HVMANITATEM dicit non propter diuinitatem. Leo epist. 8. ad palestinos. Quicquid in TEMPORE accepit Christus, secundum HOMINEM accepit, cui, quæ non habuit, conferuntur.

Cyrillus lib. 4. thesauri c. 13. Filius accipere vitam à patre dicitur, non in quantum VERBUM, sed in quantum HOMO FACTVS est.

LXXII. Diuinitati enim vt pote perfectæ & absolutæ omnia ab æterno possidenti, nulliusq; rei indigæ (vt Athanasius contra Arrianos disputat) nihil honorum, potentiæ, Maiestatis addi potuit: quomodo enim acciperet, quod semper habuit, priusquam acciperet.

LXXIII. At Christus Matth. 28. profitetur, sibi omnem potestatem in cœlo atq; in terra datam esse, quod donum in TEMPORE accepit: omnia excepto vno DEO subiecta

subiecta habet potestati suæ. Ps. 8. & omnib. potenter,  
dominatur Eph. 1. Data est Filio hominis vita viuificans  
& potestas iudicium faciendi in omnes, & in TEMPORE  
accepit gloriam æternam, quam habuit apud patrem  
antequam mundus fieret.

LXXIV. Inde Athanasius oratione quarta contra  
Arrianos: Quod scriptum est, Data est mihi omnis po-  
testas ipse sibi data confitetur quæ humanitus accepe-  
rat.

LXXV. In Apocalypsi 4. & 5. extat locus perspi-  
cuus, ubi angeli & sancti in cælo, non tantum procid-  
dunt, supplicantes sedenti in throno eo respectu, quod  
creauit omnia, sed etiam Agno quia occisus est, & in  
sanguine suo nos redemerit.

LXXVI. Sic Danielis. 7. habetur, Filio Hominis æ-  
ternam potentiam datam esse, quæ ab æterno fuit, &  
in æternum sit duratura, vt quod filius Dei habuit per  
naturam, id Filius hominis haberet per gratiam, vt  
scholastici Theologi loquuntur.

LXXVII. Hæc igitur & similia S. scripturæ dicta cū  
p̄ia antiquitas, iuxta sententiam scripturæ acceperit  
Carnis non Deitatis respectu, sequitur omnipotenti-  
am humanitati Christi à Deo patre datam esse.

LXXVIII. Hinc recte concluditur Idiomata Deita-  
tis propria carni Christi data & communicata esse.

LXXIX. Caro igitur Christi respectu vnionis  
personalis cum Deitate τὸ λόγος viuificam habet effi-  
caciā.

LXXX. Sic enim Christus inquit Ioh. 5. pater de-  
dit filio potestatem iudicandi, quatenus filius hominis  
est, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστίν, ubi filius hominis, quia articulo  
caret, proprie humanitatem Christi notat, cui data est  
ἐξουσία potestas seu potentia iudicandi. Et

LXXXI. Et in Iohan: cap. 6. caro mea verè est ci-  
bus &c. Ego sum panis ille vitæ, panis viuus seu viuifi-  
cus, Qui ederit hunc panem viuet in æternum, &c.  
Nam caro Christi, cum non sit cuiusuis hominis caro  
sed ipsius vitæ & Saluatoris Iesu Christi, quæ pro vi-  
ta & salute hominum tradita est: ita perfectè alit & vi-  
uificat vescentes, vt nunquam ampliùs esuriant ac  
sitiant.

LXXXII. Inde Ephesina Synodus contra Nesto-  
rium rectè definiuit: carnem Christi accepisse vim  
viuificandi, merito & efficacia actiua.

LXXXIII. In exuscitandis enim mortuis non ver-  
bo solummodò atque imperio vt DEVS vtebatur, ve-  
rum etiam carnem suam quasi cooperatricem non-  
nunquam adhibebat, ut re ipsa ostenderet, carnem  
quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, viuificam  
esse.

LXXXIII. Nam quando Synagogæ Principis fi-  
liolam suscitabat, manum eius apprehendit dicens:  
Puella surge: ita & Deus & Verbo & carnis suæ ta-  
ctu eam excitauit, vnã ab vno se Christo, Deo vide-  
licet atque homine, operationem producens.

LXXXV. Sic quando Ciuitatem Nain ingredie-  
batur & offerebatur vnigenitus Matris Filius iam  
mortuus, tetigit corpus eius dicens: Adolescens tibi  
dico, surge.

LXXXVI. Non ergo verbo solum, verum etiam  
tactu mortuos excitabat, vt ostenderet corpus quo-  
que suum viuificare posse, vt piè Cyrillus lib 4. cap.  
14. super dictum Iohan: 6. Amen dico vobis, nisi  
manducaueritis carnem filii hominis &c. monet.

Non



LXXXVII. Non autem caro Christi habet vim  
ἐνεργητικῶς, efficaciter viuificandi, separata à λόγῳ se-  
cundum sese. καὶ ἑαυτῷ καὶ ἐν τῇ ἑαυτῇ formaliter, sub-  
iectivè aut habitualiter: sed καὶ ἄλλο propter aliud vi-  
delicet, propter unionem καὶ τῆς ἐνώσεως οἰκονομίαν, non  
tamen in eo sensu, ut καὶ ἄλλο distinctivè ponatur ve-  
lut in I. Communicat: genere, sed ut fontem ostendat,  
ex quo cooperationes in producendo viuificationis  
opere profluxerunt & carni Christi sunt communi-  
cata.

LXXXVIII. Hoc Damasc. lib. 3. c. 17. p. 82. osten-  
dens ait: Caro Domini mortalis erat propter se ip-  
sam & viuificans propter unionem ad λόγον.

LXXXIX. Cyrillus idem declarat in Iohan: lib.  
4. c. 23. Caro si SOLA intelligitur, nihil prorsus viu-  
ficare potest, quippe quæ viuificante indigeat. Cum  
verò incarnationis mysterium laudabili cura scrutati  
fueritis & vitā habitantē in carne cognoueritis, quam-  
uis nihil penitus PER SE IPSAM possit viuificare, vi-  
uificam tamen credetis. Nam quoniam cum viuifi-  
cante verbo coniuncta est, tota effecta est viuifica.

LXXXX. Si verò existimas confundī vel exæqua-  
rī vtriusq; naturæ proprietates, dum λόγῳ carni suæ  
diuinas operationes communes faciat: audi Cyrillum  
lib. 4. in Ioh. c. 24. te erudientem. Quando, inquit,  
viuificam Christus carnem suam appellat, non ita illi  
vt sibi siue proprio Spiritui vim viuificandi attribuit.  
Nam propter se ipsum Spiritus viuificat, ad cuius vir-  
tutem caro per coniunctionem ascendit. Sic λόγῳ  
seu Deitas λόγῳ propter se ipsam viuificat: caro non  
propter se ipsam, sed quia totam verbi operationem  
suscepit. λόγῳ vt Spiritus vitam credentibus inspirat  
Caro

Caro , quia ad virtutem Spiritus λόγος euecta est per  
Coniunctionem, λόγος ab æterno vita ipsa est : Caro  
Christi in plenitudine temporis λόγος ὑποσαλικῶς vnita  
totam viuificandi vim accepit , & quidem sine confu-  
sione & exequatione naturarum.

XCI. Est enim diuina creatrix omnium rerum, humana au-  
tem creatura ex semine Abrahæ: diuina est Spiritus, humana  
constat anima & corpore, sed realis distinctio naturarum fir-  
miter est retinenda, obseruata Iustini regula: ἔμεινεν ὃ ἦν καὶ  
γέγονε ὃ οὐκ ἦν Mansit quod erat & quod non erat assumpsit.

XCII. Et hæc est differentia discernens præsentiam persona-  
lem seu vnionem naturarum in Christo à reliquis modis præ-  
sentia Dei, inhabitationis seu coniunctionis, nimirum quod  
creaturis secundum cuiusq; mensuram, vt Spiritui sancto pla-  
cet, res diuinae communicentur : Christo vero absq; mensura  
Ioh. 3. secundum diuinitatis plenitudinem corporaliter vt  
paul. 1. & 2. Colos: testatur.

XCIII. Etsi autem acie mentis hunc modum ἀπόρρητον & in-  
effabilem nec assequi, nec ad oculum demonstrare possimus:  
Saluatori tamé nostro hunc honorem habeamus, vt ipsi car-  
nem suam viuificam asseueranti firmiter credamus.

XCIV. Hinc omnes Impiorum blasphemias ex Nestorij  
Schola in Ecclesiam Christi reductas, detestamur & ingenuè  
fatemur, nos mysterium omnem rationis captum excedens  
agnoscere & admirari, solam fidem ad id afferre, & simplicis-  
simis scripturæ verbis acquiescere.

XCV. Hæc de trium generum predicationib. non verbalib. sed reuera ita se habentibus, breuiter in placidam cum alijs collationem proponere volumus, ad veritatem inquirendam Dei & beneficio retinendam.

XCVI. Seponimus deniq; & referuamus ad aliud colloquium, quæcunq; homines fanatici, cum magna Ecclesiarum distractione ad extenuandam Christi maiestatem mouerunt, de absentia Christi hominis, de localitate, de vbiuitate, de præsentia Christi in Ecclesia, de modo præsentia in coena & si qua sunt similia.

XCVII. Tales enim disputationes caute tractentur, nec nostræ fatuitates cum æterna Maiestatis sapientia conferendæ sunt.

XCVIII. Dominus noster Iesus Christus Dei & Mariæ Filius, nos S. S. illuminet, vt agnitam veritatem remotis profanis opinionibus ad extremum vsq; Spiritum constanter tueamur & omnia nostra ad nominis diuini gloriam illustrandam referamus.

F I N I S.

Jf 4600

ULB Halle 3  
003 299 04X



sb.

1077







V

4  
5

DE TRIBVS GENERIBVS  
COMMVNICATIONIS IDIO-  
MATVM.

PROPOSITIO-  
NES DE QVIB. RESPON-  
DEBIT PRO CONSEQVEN-  
DA LICENTIA IN FACVL-  
TATE THEOLOGICA

Præsidente Andrea Pretorio Doctore  
Theologo, Pastore & Professore  
Ecclesiae Francofordianae

M. Andreas VVencelius Historiarum  
Professor in Academia Franco-  
fordiana.

e.

Die XV. Octobris Anno 1584.



Francofordiae Marchionum excudebat  
Andreas Eichorn.

H. 19

